



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindellicorvm, 1607

S. P. Theodvlvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

3. Decem.
Alius vi-
detur 14.
 Ianuarij.

S. P. THEODVLVS,

55000. Phi-
 lipp.

Hic imperante Theodosio Magno vi-
 xit, patriciæ stirpis, & præfectus præ-
 torio, qui inculpata vitæ vir in coniugio
 agebat. Cum videret à magistratu omnia
 per rapinas, auaritiâque geri, præfectu-
 ra se abdicauit. Vxore tãdem etiam defun-
 ctâ, fortunas, quas amplissimas habebat,
 quingentas inquam, & quinquaginta auri
 libras, in pauperes est elargitus, Edessam-
 que venit, vbi in columna quadam trigin-
 ta ipsos annos vitam religiosam, & solitari-
 am egit. Vnde magnis à Deo gratijs auctus,
 nihil amplius ex terrestri gustauit alimen-
 to; sed solo corpore & sanguine Christi
 diebus Dominicis, sancta que oblatione est
 pastus. Perturbatus olim cogitationibus
 molestis auebat scire, eccui tandem ex gra-
 tis Deo seruis 1 par esset iudicatus, audiuit
 2. se Cornelio 2 mimo qui Damasci degeret,
 parem in regno Dei futurum. Quod respõ-
 sum parum abfuit, quin illum in grauem
 animi perturbationem conijceret, id quod
 omnino ex hostis animorum nostrorum
 insidijs illi propè euenisset. Venit ergo Da-
 mascum, Cornelioque reperto, ad pedes
 accidit, rogauitque vti sibi genus vitæ, ra-
 tionem-

tionemque explicaret. Sed hic se infelicem esse peccatorem dictitabat, nihilque præclari in vitâ gessisse. Vrgente vero altero & collacrymante sene, coactus dixit. Ego pater, à prima ætate mimicam, scenicamque artem exercui, indeque mihi vitæ necessaria comparavi. Tandem verò, quamuis serò redij in memoriam, quæ designauī malorum, menteque futuri iudicij taliõnem perpendi, atque deinceps me ab omni flagitio abstinui, vitamque integram institui, pauperum inopiæ sublauandæ pro facultate meâ addictus. Cum verò pater adhuc amplius instaret, & illum sacramento adigeret, vti & reliqua aperiret, respondit Cornelius: 3^o Pronuper (sancte pater) illustris quædam matrona, quæ opum & honorum, quæ pudicitia laude spectabilis, viro à parentibus in matrimonium locata erat, qui per luxum & intemperantiam, non solum tantum, & vxoris patrimonium decoxerat, sed æs insuper graue per commestationes contraxerat. A creditoribus ergo in vincula tractus, coniugem longo tempore immenso afflixit dolore. Cum enim miserabilem illum in carcere fame propemodum enecari sciret, animum illa prope despondit. Cœpit tamen stupem cogere, animam velut in trutinam depositam, fluctuabunda,

anx.

anxiâque ne pudicitie labem inferret, quod forma esset bona & integra. In hanc ego cum incidissem, statumq; vitæ, & causam cognouissem, sanè vehemèter animo commotus indolui, rogauiq; lacrymans, quantum, inquam mulier est æs alienum? Quadringenti, inquit illa, mi domine, sunt aurei. Ego cum opes meas omnes ad calculū vocassem, ducentos non amplius & triginta aureos reperi, qui cum ad sortem nō sufficerent, suppellectilem, & quæ habebam preciosa, vestesq; ipsas, quas pulcherrimas habebam, venales proposui, summamque inde collectam fæminæ in manus tradidi, dictumq; hoc addidi. Accipe hæc mulier, & bona cum pace abi, virumque è custodia libera, & clementiam numinis ex animo pro me precare, vt mei in extremo illo & decretorio iudicij die misereatur. His auditis Theodulus, gratijs Deo actis rursus columnam ascendit, nec diu superstes cum spe bona ad Dominum emigravit.

ANNO TATIONES.

- i. **V**iri sanctimonia vitæ clari, Dei subinde instinctu, vt modestiores opinor redderentur, ac magis in dies proficerent, petiuerunt à Deo, vti sibi aperiret, quib⁹ pares futuri essent præmijs in beatorum sedibus. Obsecutus plerumque Deus illorū
volun

voluntati, thesaurum illis suum occultum reclusit, & aliorum virtutes, ad quas Anachoretæ nondum aspirauerant ostendit. Ita S. Pafnutio componitur Symphoniacus, & negotiator, vt est in patrum vitis: S. Antonio Alexandrinus antepositur coriariarius: & S. piterio Anachoretæ virgo sacra, quæ amentiam simulabat. Eremitæ S. Gregorius, P. Maximus.

2. Mimi infame quondâ hominû genus, in quos Tertulliani, Cypriani & aliorum extant reprehensiones. Sunt nonnulli ex ijs diuino prorsus modo ad fidem traducti, qui & sanguinem pro Christo profuderunt, quos inter celebratus ille est Genesius, qui Romæ Christo in teatro cum illudere vellet, subito mutatus pro eodem oppetijt. Ardalion seu Ardelio, Dioscorus, Gelasius in Chronico siculo. Olimp. 269. Dioclet. XI. Gaianus apud Io. Moschum Euiratum prato spir. c. 47.

3. Huius generis historias de eleemosynis memorandas collegit Iulius Fulcus, lib. de eleemosyna, Leichthius in Exemplis Hospitalitatis. Præter illas tamen omnes referam ex M. S. codice Hamartoliseu Logothetæ Græci nondum translatis, nec editi, non dissimulandum factum, quod fere cum Troili Episcopi historiâ alio tamen euentu conuenit.

Constantino Heraclij filio imperante, vir quidâ pecuniosus Constantinopoli, in morbum incidit, mortemque formidans in pauperes triginta auri libras distribuit, conualescit subito, & pecuniæ expensæ pœnitentiâ, haud dubiè dœmone impulsore, ductus, rem cum sincero quodam & recto amico, eoque locuplete communicat: qui ad amicum: repelle, inquit, mi homo, hanc impiam cogitationem, nec te pœniteat eleemosynæ in egen-

cap. 4.
Sent. Pp.
c. 58.
Doctr. Pp.
c. 128. lib. 2
c. 61. Vita
S. Greg.

2.

25. Aug.

14. April.
D. Augustin^o epist.
67. ad Alipium.

Bib. Ser.
Max. 85
August.
Reip.

3000. philip

tes

tes distributæ, ne Deum qui tui misertus, te fanitanti restituit tuæ, grauitèr offendas, fatoque infasto & subita morte repente opprimaris, atque sine pœnitentia decedas. Sed frustra: Consilium enim amici fidum omnino reijcit. Tum amicus; Quando ea, quæ salutaria suasi, non admittis, aliud suggeram tibi. Et ille, quid suades? Et amicus verè misericors: Age, inquit, huc mecum ad templum adi, & ibi profiteri: (Domine, non ego, sed iste dedit eleemosynam) & ego tibi statim triginta auri libras deuotò annumerabò. Placèt hoc consilium auaro: ad templum venitur, verba concepta pronunciantur, aurum ab amico, infelici illi in manus traditur, receptâ pecuniâ, dum pedem ex templo effert, subito mortuus concidit, omnibus qui præsentès aderant, ingenti horrore & pauore correptis, qui iustum iudicem laudabant & celebrabant. Cum autem qui aderant clerici monebant amicũ, vt suam ipse sibi pecuniâ sumeret: Absit, inquit, hoc factum à me, imò cogitatio impia vt ego Deo deuotum aurum, & cœlo iam inscriptum recipiam. Domini est, nullũ mihi in id amplius ius aut potestas, quod Ananias & Saphira immemores de suo iam Deo dedicato suffurati, pœnas subita morte, quemadmodum & iste persoluerunt. Deus enim non irridetur. His illius dictis ab omnibus mirificè comprobatis, aurum pauperibus est diuisum. Feliciori euentu Petrus Vellius aurum distribuit, vt narrat his verbis Turcellinus in vita Francisci Xauerij lib. 5. c. 3.

*Petri Vellij
egregia liberalitas.*

Inde Machaum, emporium Sinarum sanè celebrè delatus est. Ibi cum puellam offendisset, cuius pudorem impia prodebat, pecuniam corrogare cepit, & inde ei dotem conficeret. Venit igitur ad Petrum Vellium, veterem familiarem, eundemq; institorem satis pecu-

niosum

iniosum. Offendit hominem latrunculis ludentem do-
mi aliena. Re breuiter exposita, aurum ab eo mu-
uum petit, centuplicato fanore reddendum in calo.
Ille, intempestiuo Xauerij interuentu nonnihil offen-
sus, negare illud esse tempus accipiendi quod peteret;
se domo sua abesse, & sibi aurum haberet. Instare co-
miter Franciscus, mortali semper esse tempus rectè
faciendi. Itaque ille, hac voce motus, clauem illi (Sic
erat domesticarum eius rerum satis gnarus) arca
nummaria tradit, auferre iubens quantum vellet.
Xauerius, trecentis nummis aureis ex arca deprom-
ptis, Petro reddidit clauem, quantum auri abstulisset
renuncians. Tum ille, Errasti, inquit, Pater, tuusq;
pudor mihi iniuriam fecit; & tique multo minus sum-
psisti quam volebam. Namque arca clauem tradens,
dimidiam auri partem tradebam tibi. Inerant num-
morum aureorum XXX. millia: hanc summam inter nos
ex a quo diuisam oportuit, at tu quotam inde particulam
tibi sumpsisti? Sensit Franciscus Vellium sincerè & ex
animo locutum; eaque verba non comitatis esse magis
quam veritatis. Itaque admirans, Macte vir libera-
litate esto, Velli, inquit, grata et accepta Deo est egregia
Solitas tua, haud dubijs testata factis. Proinde eius
ego tibi verbis polliceor, nunquam Deum tibi defuturum.
Insuper hoc daturum esse, & supremum Vita diem
ipso prannunciante cognoscas. Nec Franciscum Deus,
nec Vellium Franciscus fefellit. Vellius quippe ex eo
alius vir extitit: adeo se benignitati addixit pietatiq;
Post aliquot annos diuinitus de instante decessu pra-
monitus, colligere sarcinulas cepit. Igitur compositis
rebus domesticis, reque familiari magna ex parte in
pauperes diuisa, adhuc Salens & igensq; ad vltimum
illud discrimen comparare se. Aderat iam supremus
Vita dies, cum ille ad sacram profectus adem, Paro-
chum perpulit, & pro Petro Vellio piaculare sacrum

G

(quod

(quod à defunctis nomen habet) solenni ritu faceret, cui ipse interfuit, se iam numerans in mortuis. Inde singulos amicorum conuenit; eosq; Valere iubet, peregre abiturus. Scitantiibus quò tandem iter intenderet, respondet, In calum. At illi iocari hominem cateroquin facetum ac lepidum rebantur. Caterum posteaquã ille omni asseueratione in calum ire se perseuerabat; agritudinem animi insaniam interpreta- bantur: Vtique ubi fama ad eos pertulit, Petrum Vellium, animo solennibus mysterijs rite procurato, relictis inclusum, praestolari mortis aduentum. Ergo domum eius frequentes coeunt, pro se quisq; eam à crisi illa cogitatione abducere conantur. At ille, Vultu gaudium praefrens, satis ostendit, nullam subesse animi agritudinem; & simul Xauerij prae- dictionem, eiusq; euentum, amicis latibundus exponit. Ad Vltimum de tota re edoctos rogat, Vt Petri Vellii mox obituri funus, eodem ipso die prosequantur. Atque ita prorsus euenit. Affecta iam iam atate hominem repentina mors abstulit: eodemq; die funere elatum amici ad templum prosecuti sunt, quã Vellii decessu, quã Xauerij prae- dictione, attoniti stupentésq;

S. IOANNES EPISCO-
PVS COLONIAE IN ARME-
nia, postea solitarius.

QVARTO Imperii anno religiosissimi Im-
peratoris Marciani, hic diuinus pater
in lucem primum Nicopoli Armeniae est e-
ditus. Literis sacris eruditus, parentibus
vitã functis ex patrimonio pauperibus im-
pertito,